

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

Pro Primâ Apollinari laureâ consequendâ proposita

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

JOANNE CHASTELAIN

Regis Consiliario & Medico, nec-non in Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo, & Decano Plurimùm Venerando.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An, Hæmorrhoïdibus Inveteratis Operatio Chirurgica.

Quam Deo duce & auspice Deiparâ propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis fano, Die mensis Maii anno 1714. ab horâ octavâ ad Meridianam, JACOBUS MATHIJLON Lugdunensis, Artium Liberalium Magister & jamdudùm Medicinæ Studiosus.

HÆMORRHOIDUM nomine, varicosos venarum Hæmorrhoïdalium tumores intelligimus, quos dolor ut plurimùm excretionis præsertim tempore comitatur. Dividuntur in internas & externas, externæ extra anum positæ facilè videntur; internæ in recti cavitate latentes oculorum aciem effugiunt; has tamen videre quando-

que contingit, dùm rectum à fæcibus fummopere laceffitum fuarum conftrictione fibrarum ad expulfionem infurgens extra anum inverfum fe prodit. Utræque cæcæ funt, vel apertæ; cæcæ humorem nullum effundunt, fed dolore acerbo ægrotantem moleftant, urgente præfertim fæcum excretione. Sanguis ex apertis effluit, minùfque doloris ægrotantes patiuntur. Rurfùs propter fimilitudinem quam habent cum uvis, moris, aut verrucis dividuntur in uvales, morales, verrucales; plures, aut pauciores funt. Unicus interdùm apparet. Prætereà peffimi nonnunquàm funt moris, undè aliæ exulceratæ, cancrofæ, aut fphacelo correptæ.

Quod arteriis anevrifma eft, venis idèm varices; in utroque tumore, præternaturam expanfæ vaforum tunicæ, aliquid fanguinis præterfluentis à motu progreffivo divertunt, quo inflatæ in tumorem affurgunt. Rariùs quidèm in arteriis, fæpiùs in venis, quià fanguis venofus arteriofo craffior lentiùs in venis volvitur, & tunicæ earum debiliores fero admiffo laxitatem faciliùs contrahunt. Verùm quàm facilè venæ Hæmorrhoïdales varicofæ fieri poffunt, fciet ille qui laxum earum contextum atque anfractus Anatomiâ noverit, & ad fanguinis in ipfis contenti craffitiem attenderit, cùm enim fanguis per arterias Hæmorrhoïdales ad rectum delatus per infignem ejufdem nominis venam ad portam redux non fiat nifi priùs per flexuofa & laxa vafa trajectus fuerit; manifeftum eft fanguinem in fuo tranfitu magnum fui motûs impendium facturum, quo deftitutus ad Hæmorrhoïdalem venam non nifi tardiùs pervenire poterit. Prætereà hunc fanguinis ab ano ad portam reditum periftalticus quadanteuùs remorabit inteftinorum motus, quotiès fanguis craffitie donatur. Quoniàm enim vermicularis inteftinorum motus à piloro ad anum furfùm deorfum tendens fucceffivè abfolvitur; neceffe eft ut fanguis ex ano afcendenti apponatur. Mirum igitur nemini videatur venarùm Hæmorrhoïdalium varices in omni fexu contingere; cùm enim fanguis Hæmorrhoïdalis craffus & vifcidus per flexuofos venarum anfractus priufquàm redux ad portam fiat trajiciatur, facta motûs deperditione in quolibet anfractuum angulo ibì hærere & acumulari facillimè poterit, potiffimum fi aliquam ob caufam inferiùs recenfendam laxatæ venarum tunicæ fanguinis hærentis impetui minùs refiftant. Tùnc quoniàm major fanguinis quantitas ab arteriis devehitur quàm per venas reduci poffit, quæ pars venarum laxior erit accumulato fanguine intumefcet: unde unus, vel plures fimul varicofi tumores, prout una vel plures fimul venarum partes laxæ, aliquid præterfluentis fanguinis à motu progreffivo deflectent. Patet ergo ad varices duo neceffariò requiri; laxas Hæmorrhoïdales venas elafticâ vi deftitutas & fanguinem laxas venarum partes in tumores attollentem.

Quoniàm verò fanguis per arterias continuò ad laxas venarum partes appellit, neceffe eft ut aliquâ fanguinis portione retentâ, varices ulteriùs intumefcant; donèc venarum tunicæ vehementèr tenfæ, humorum accedentium copiæ atque impetui refiftere valeant. Varices autem hanc quandoquè acquirunt magnitudinem ut recti cavitatem penitùs fermè repleant, aut urc-

thram comprimentes, facili urinæ excretioni noceant. Verùm tunicæ venarum in varicibus citra inflammationem & dolorem sic tendi nequeunt: quià vasa sanguifera quibus ipsæ componuntur, sanguinem in suâ cavitate diutiùs retinent; nervique majori tensione ad fortiores succussiones dispositi, à sanguine in varice hærente, aut materiis recti cavitatem præter labentibus præter modum afficiuntur. Hinc major aut minor Hæmorrhoïdum dolor promajori aut minori varicosi tumoris inflammatione, sanguinis & materiæ rectum præterlabentis acrimoniâ, nam verosimilè videtur, humorem è glandulis tumori varicoso vicinis in recti cavum delabentem, varices inflammatas dolorem irritando parere, si acrimoniæ cujusdam ipse sit particeps. Diversa doloris species, quæ Hæmmorrhoïdibus socia jungitur, à variâ sanguinis in varice hospitantis constitutione & motu, nec-non diversi humoris è vicinis glandulis stillantis, materiæque recti cavitatem præterfluentis indole repeti debet. Dolor Hæmorrhoïdum non æquè & assiduè ægrum molestat, identidem quiescit & intenditur, sic quasi sopitus alvi depositione recrudescit: quià alvinæ fæces Hæmorrhoïdes confricatione irritant, præsertìm si ficciores & crassiores sint. Exacerbatur adhùc exercitiis, animi pathematis, spirituôsis assumptis, omnibus demùm quæ sanguinis motum intendunt: quià accelerato sanguinis motu, major ejusdem copia ad varices appellit. Idèm valida purgantia faciliùs efficient tùm sanguinis motum augendo, tùm humores mordaces & salsos per alvum detrudendo: sic diarrhæa dolorem Hæmorrhoïdum intendit.

Hæmorrhoïdes per menses & annos indesinentèr non tument. Tunicæ venarum dolore lacessitæ, uberiori accersito spirituum influxu adversùs hospitantem sanguinem potentiùs insurgunt, præsertìm si quantitas ipsius aut qualitas aut utraque simùl remediis tùm internis tùm externis emendatur; tunc venarum vi elasticâ cedens, ad promptiorem urgetur exitum, varicesque minùs tumentes relinquit: imò quiete solâ nulloque adhibito interno nec externo remedio varices sanguine se se interdùm exonerant: nec morbus perfectè sanatus, sed tautùm sopitus acriùs recrudescit, & per periodos modò regulares modò irregulares recurrit, nisi laxatæ venarum partes efferantur, vel in membranas mollesque appendices extra anum sæpè pendentes abeant. Verùm varices sanguine exonerati flacescunt, nec radicitùs tamen tolluntur; & ideo tunicæ venarum Hæmorrhoïdalium laxæ novo iterùm sanguinis infartu affici possunt modò iste quantitate, qualitate, aut motu peccans copiosiùs per Hæmorrhoïdales arterias quàm per venas reduci possit deferatur; Et ideò equitatio, exercitia, vigiliæ, evacuationes suppressæ, salsa, acria, spirituosa, certâ quantitate assumpta, purgantia validiora exhibita, sopitas Hæmorrhoïdes renovant.

Gangrena, exulcerata & cancrosa dispositio quæ per accidens Hæmorrhoïdibus superveniunt, à variis sanguinis affectionibus repeti debent; dùm sanguis hospitans quantitate aut intestino motu varices multùm dilatet, compressa tunicarum vasa sanguinem nec accipiunt nec expellunt, hinc interrupto circuitu livor quem gangræna brevì consequitur. Si verò humo-

res hærentes falſi & mordaces ſint, facta ſenſim vaſorum corroſione, cruor in tunicarum ſubſtantiam effuſus in pus convertitur, & varices exulcerat. Deniùm ſi ſanguis craſſitiem cum ſumma acrimonia jungat, exiguos varicoſæ venæ portionis ductus & cæteros ipſis vicinos ob retardatum ibi circuitum obſtruet, ſenſim erodet; undè ulcera fætida humorem ſanioſum effundentia Hæmorrhoïdes ipſiſque vicinas partes obſident.

Sæpiſſimè tamen fit ut ſuperatâ venarum reſiſtentia ſanguis ex Hæmorrhoïdibus modò rutilans, modò niger & grumeſcens effluat. Aliquandò à fæcibus confricatæ Hæmorrhoïdes non niſi cùm alvus deponitur ſanguinem fundunt. Quandoque ſanguis Hæmorrhoïdalis per plures dies indefinenter fluit, qui fluxus per periodos erraticos, rarò verò regulares & certos recurrit. Docet tamen experientia Hæmorroïdalem fluxum ſingulis menſibus in viris quibuſdam recurrere, nec fæminæ deſunt in quibus ſuppreſſis catameniis ſingulis menſibus ſupplet, & tunc ſuppreſſus morborum quàm plurium parens eſt; quia Hæmorrhoïdes veluti emunctorium ſunt in quo ſæpè natura inutilem & vitioſam ſanguinis portionem alternis vicibus deponit. Sine prægreſſo dolore Hæmorrhoïdales varices ſanguinem non fundunt: priùs enim eſt eos ſanguine turgere quàm diſrumpi; cruore autem affuſo detumeſcunt, donec à ſanguine denuò repleti ad crepaturam uſquè turgeant Hæmorrhoïdum tumor temporibus irregularibus accidit, idque potiſſimùm à depravatis ſanguinis motu, quantitate & conſiſtentiâ, nam quandoque venæ varicoſæ ſat roboris habent ut ſanguinem nullo modo pecantem ab arteriis acceptum ad portam traducant, ſed facto quocumquè in motu, quantitate, aut conſiſtentiâ vitio, ut propter exercitia violenta, animi pathemata, aſſumptorum qualitatem aut quantitatem, aliquam evacuationem ſupreſſam, impares fiunt venæ ut totum ſanguinem ab arteriis delatum traducant, undè qualibet cordis contractione, quædam ſanguinis ad venas Hæmorrhoïdales appellentis portio in varicibus recipitur ac coacervatur, donèc factâ venarum apertione exeat. Si fluxus Hœmorrhoïdalis per æquales periodos ut ſingulis v. g. menſibus in nonnullis recurrat, id à majori venarum Hæmorrhoïdalium debilitate, ſanguiniſque craſſitie repetendum: ſanguis enim craſſus parciorem humorum copiam in colatoriis deponit, ergo copiosè per arterias Hæmorrhoïdales ad venas pellitur; nec per earum anfractus volvi poteſt, quin in partibus vi elaſtica deſtitutis propter laxitatem, quolibet circuitu aliqua portio relinquatur; quoniàm venarum varices certam ſanguinis copiam ſine ruptione continere poſſunt, hinc fit ut determinato temporis intervallo ad crepaturam repleantur. In fœminis verò ſanguis menſtruus ex utero effluere non valens venas Hœmorrhoïdales mutato curſu ſingulis menſibus aperit dùm ipſæ aliis debiliores à ſanguine menſtruali retento repleri faciliùs poſſunt.

Quandoquidem Hæmorrhoïdalium varices laxas earumdem tunicas neceſſariò ſupponant, videamus nunc quibus de cauſis tunicæ venarum Hæmorrhoïdalium debilitatâ elaſtica vi, laxæ evadant. Verùm cùm nihil in venis agere poſſit præter ſanguinem; patet igitur illud ex vitiato ſanguinis

per has venas circuitu repetendum esse. Vitiatur autem circuitus sanguinis dùm arteriæ Hæmorrhoïdales crassiorem, aut uberiorem solito more sanguinem in venis deponunt, quia venæ arteriis debiliores eamdem copiam reducere nequeunt, hæret & qualibet contractione cordis aggestus quantitate suâ venas dilatat præsertìm in anfractuum angulis, quoniam ibi via difficilior sanguinis circuitum magis remoratur. Idem ab equitatione diuturna accidet, quia venæ compressæ sanguini ex ano redeunti obstant, similiter venæ Hæmorrhoïdales à calculo vesicæ aut fœtu in utero contento angustatæ varicosæ evadunt, & ideo mulieres graviditate frequentèr Hæmorrhoïdes contrahunt, inprimis si partus difficilis fit; quià Hœmorrhoïdales venæ magis compressæ, ampliùs etiam sanguinis remorantur; & liquidum istud tunc motu intestino multùm commotum in venarum tunicas validiores impetus facit. Compressio etiam magnæ Hæmorrhoïdalis venæ ab obstructionibus mesenterii varicum parens haberi potest, item crassiora & sicciora excrementa in recto vel extremitate coli diù hærentia comprimendo venas, difficilem sanguinis ex ano reditum efficient; violentus & sœpè recurrens colicus intestinorum dolor Hæmorrhoïdibus natales dabit, his demùm addere possumus laxiorem harum venarum texturam hereditariam aut adventitiam putà ab aquosis materiis per vicinas glandulas distillantibus aut ab aliis intestinis ad rectum sœpiùs delatis contractum. Cæteras Hœmorrhoïdum causas remotas sileo, cùm ex superiùs dictis earum agendi modus satis pateat.

DIAGNOSIS. Hæmorrhoïdes externæ tactui & visui sunt obviæ, ab aliis tamen affectibus distinguendæ qui ano accidere consueverunt, quales sunt rhagades, condilomata, thimi, fici. Rhagades ulcera sunt in fissuras diducta è quibus humor saniosus effluit. Hæmorrhoïdes tumores sunt varicosi. Condylomata tumores sunt oblongi, rugosi, pelliculæ concolores. Hæmorrhoïdes majores, nigræ, & rotundæ sunt venas occupantes. Thimi sunt tubercula carnosa quæ non modò in ano sed etiam in pudendo virili aut muliebri solent exoriri verrucis consimilia, coloris candidi, vel subrubri & doloris expertia. Hæmorrhoïdes nigriores sunt, & ut plurimùm dolorosæ. Ad ipsas fici similitudine magis accedunt, qui tubercula carnosa sunt livida & dolorosa, à quibus Hæmorroïdes differunt, quia sedem habent in venis sanguine turgidis ac dilatatis. Tacemus cristas hoc nomine propter figuram donatas, post nefandam venerem ano subcrescentes, quæ colore, figura, doloris absentiâ & causâ potissimum ab Hæmorrhoïdibus discerni solent. Cœcæ Hæmorrhoïdes internæ dolore & molestâ alvi depositione noscuntur; intromisso in ano digito aliquandò tanguntur, aut rectum violentâ contractione extrà productum visui eas exponit.

Sanguinem ex Hæmorrhoïdibus apertis exire dignoscitur, cùm antè vel post dejectionem, aut si unà tantùm adhærens sed non permixtus excernitur. In tenesmo frequens & inutilis adest desidendi cupiditas & post multos conatus mucosa atque cruenta materia parcè ejicitur. In dysenteria dolores & tormina abdomen infestantia materiæ liquidæ & cruentæ

excretionem præcedunt. Hæmorrhoïdes verò fœcum consistentiam nec ex- cernendi tempus vitiant, & dolor in ano exitum quærentibus producitur. Si sanguis assiduè per anum distillet à fluxu ab Antiquis hepatico dicto discernetur, quia sanguis Hæmorrhoïdalis guttatim per aliquot dies præ- gresso dolore excernitur : in fluxu hepatico alternis tantùm vicibus abs- que prægresso dolore dejicitur, & prætereà sanguis effluens loturæ carnis similis est.

PROGNOSIS. Cæcæ Hæmorrhoïdes, externæ potissimum, sœ- piùs periculo vacant, sed dolore ægros identidem molestant; nonnunquam tamen ob humorum quantitatem, motum aut acrimoniam vel intempesti- vam remediorum applicationem tumentes Hæmorrhoïdes gangrenâ corri- piuntur, vel in ulcera cancrosa & fœtida mutantur, quæ puris copiâ aut acritudine partes vicinas lædendo, fistulam tandèm accersunt. Hæmor- rhoïdes moderatæ & convenienti tempore fluentes à multis morbis homi- nem præservant, & à præsentibus liberant; ita docente Hipocrate Aphor. XI. Sect. VI. *Melancholicis & Nephreticis Hæmorrhoïdes supervenientes bonum.* & Aphor. XXI. ejusdem Sectionis, sic loquitur; *Insanis si va- rices aut Hæmorrhoïdes supervenerint Maniæ fit solutio.* Verùm quàm salu- taris & utilis quibusdam sit per venas Hæmorrhoïdales facta purgatio, certò probant damna quæ huic purgationi suppressæ superveniunt, ut Asth- ma, viscerum obstructiones, Phtisis, Anasarca, quæ cernens Hipocrates prudenter monuit non semper currandas Hæmorrhoïdes, sic enim loqui- tur Aphor. XII. Sect. VI. *A diuturnis Hæmorrhoïdibus curato nisi una quæ- piam servetur periculum est, ne aqua inter cutem & tabes subsequantur.* Hæmor- rhoïdum immoderatè fluentium eadem ac Hæmorrhagiarum esto prognosis.

CURATIO. In omni Hæmorrhoïdum insultu æger animi motus corporisque nimia exercitia vitet, diætâ humectante & refrigerante uta- tur, quò enim sanguis magis diluitur atque temperatur eò faciliùs infar- tus venarum Hæmorrhoïdalium tollitur, libera sit alvus, excrementa mol- lia, quoniam diutiùs retenta sanguinem liberè ex ano redire non sinunt, & indurata dùm exeunt Hæmorrhoïdes irritant. Attamen diversis Hæmor- rhoïdum speciebus varia curandi methodus convenit. Tumentes Hæmor- rhoïdes & non fluentes multùm dolent, inflammatis sœpè gangrena im- minet; dolor narcoticis & anodynis mitigatur. Externis dolentibus & cœcis feliciter applicantur unguentum populeum, rosaceum, album rha- sis, lac tepidum, aquæ bellilucanæ, internis clysteres anodyni lacte de- cocto hordei & oleo amygdalarum dulcium parati aliquandò medentur. Si tamen ita tumeant ut clysterum injectioni obstent, lac aut oleum amygdalarum dulcium, tincturâ opii aut laudani opiati aliquot granis additis clysteri minori in anum intrudantur. Interìm venam seca, cre- mores hordei, orysæ aut juscula pulli refrigerantia interiùs præscribe, tùm ad sanguinem imminuendum, tùm illum dilvendum & temperandum; dùm externæ Hæmorrhoïdes inflammatæ tument & gangrenæ periculum imminet, anodynis & narcoticis frustrà in usum vocatis varices deple-

hirudinum applicatione nec ad potentiora resolventia confugies; quæ sæpè eas exulcerant & ani fistulam accersunt.

Hæmorrhoïdibus immoderatè fluentibus diætam convenientem; corporis & animi quietem, clysteresque anodynos præscribe; cave ne sanguinem fluentem sistas in corpore præsertim cacochymico, quoniam natura quæ in hoc emunctorio inutili quâdam humorum portione identidem se se exonerat, onus quo gravaretur in partibus interiùs cum ægrotantis damno forsàn deponeret. Si tamen sanguis ex se non sistatur sed immodicè fluat ad absorbentia, adstringentia, narcotica, venæ sectiones confuge, quibus sanguinem præter modum fluentem retinere possis. Verùm omnibus remediis jam præscriptis sopitæ sed non perfectè curatæ Homorrhoïdes iteratis vicibus recrudescunt. Quoniam portio venarum laxa & varicosa non tollitur; quapropter dùm eas curandi perfectè est animus modo non sint incorpore cacochymico vel alicui evacuationi non suppleant, tunc absque ullo ægrorum periculo dùm non multùm dolent nec tument operatione Chirurgicâ radicitùs aufferri possunt, cicatrix quæ vulnus artefactum consequitur firma & solida, venarum tonum ita corroborat ut sanguini exeundi impossterum non facile fuerit. Unde concludo.

ERGO Hæmorrhoïdibus inveteratis operatio Chirurgica.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciscus Chicoyneau *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Bezac *Prodecanus.*
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Petrus Magnol.
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol *Patris Coadjutor.*
R. D. Jacobus Chastelain *Patris Coadjutor.*

Doctores Aggregati.

R. D. Joannes Henricus Haguenot.
R. D. Joannes Henricus Haguenot *Patris Coadjutor.*

Doctores Ordinarii.

M. Joannes Pelerin.
M. Eustachius Marcot.
M. Jacobus Lazerme.
M. Antonius Fizes.
M. Antononius Franciscus de la Meslangere.
M. Michaël Isambert.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum. 1714.



Ornatiſſimo Eruditiſſimoque Domino D. JACOBO MATHULON Apollinarem Lauream Ambienti.

ANAGRAMMA:

JACOBUS MATHULON LUGDUNENSIS
VALEAT DIGNUS CONSUL OMNIBUS.

INCIPE promeritas Medicinæ carpere Lauros?
Nunc certam pandunt Prælia Docta viam,
Semper Honos, Nomenque tuum, Laudeſque manebunt,
Gloria mòx vires Noſcet adeſſe tuas.
Tu DIGNUS CONSUL jàm diceris OMNIBUS idem
Cùm VALEAT Nomen, certius omen erit.

Hoc poſuit in Amicicitiæ perennis teſtimonium PETRUS STEPHANUS BERGERET Arboſienſis apud ſequanos. Medic. Baccal. & Univerſitatis Conſiliarius.